

LEONARDUS HUNTPICHLER

Österreich (Wien), 1469-1470 Seite 73r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5349
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">

mortis et nullus ordo sed sempiternus horror
inhabitat sicut Iob. x. scriptum habetur Unde Gregorius
mors sic dicit horrendo modo tunc erit mise
ris dolor cum formidine flamma cum obscurita
te mors sine morte. finis sine fine. defectus
sine defectu: quia et mors semper vivit: et finis
semper incipit et defectus deficere nescit Unde
poeta refert Non venit ad metas mortis
miserabilis etas Nescit finire semper quia vi
detur oriri Semper vexando semper gemitus re
novando Hinc petrus Blesensis in quadam
epistola sic dicit Ibi non erit supplicior modus
nec intermissio sive finis Nam finis ibi semper
incipiet mors non morietur nec defectus de
ficiet ut dampnati hominis condicio semper in dolo
ris materiam et mortis eterne pabulum mi
serabiliter recidivet Quare dicitur in psalmo Sicut
oves in inferno positi sunt mors depascet
eos. Et si morte pascentur impii quid potabunt
illi. Si mors est pastus qualis erit potus
Audi prophetam Uva eorum uva fellis et botrus
amarissimus Fel draconum vinum eorum et ve
nenum aspidum insanabile Ita scribitur de

Iob x
Gregorius

Poeta

petrus blesensis